

# ΠΑΡΕΡΓΩΝ

I V R I S L I

B R I V I I . P O

S T E R I O ,

R E S ,

\*

D N . A N D R E A A L C I A ,

T O A V T O R E .



*Argumentis in singula capita: rerum item, ac uocabulorum,  
 autoritatum, locorumq; emendatorum Indicibus amplif-  
 simis ad calcem operis adiectis.*

V I R T V T E D V C E ,



C O M I T E F O R T V N A .

L V G D V N I A P V D S E B A S T I A ,

N V M G R Y P H I V M ,

M . D . X L V I I .

Vicarii Urbis Romæ esset, qui consularem ad eam regendam destinabat.

*Humanitatis significationem latè patere, & ad largitiones quoq; trahi, tum & lap-  
pam significari: explicatumq; Plauti in Casina carmen de rubro: & quid sit  
lacinia tenere Ciceroni.*

C A P. XXI.



V' M ad rescripta Principū profiterer, <sup>a</sup> & disputare me eum articulum cōtigisset, An reo <sup>a</sup> edenda sit indiciorum copia, si alia ratione quàm torturæ ea purgare uelit, in eam sententiam transii, quæ ab omnibus approbata est, ut omnino faciendam illi copiam dicerem: nec excusari iudicem, quamuis libera potestate munitum: idq; etiam si reus nominatim non prædixerit, qua defensionis specie uti uellet, quod Andr. Sicul. ex facto aduersus Alexandrum respondit. <sup>b</sup> Subieci tamen, ut quoquo modo possem Alexandri rationem haberem, (qui dubio procul excellentissimus inter omnes recentiores fuit) eius sententiam magis humanitati, quàm iustitiæ conuenire. Cùm ecce Symmystæ mei, atque etiam (si diis placet) riuales, Quid, inquit, potuit hic absurdus dicere? quasi pugnet cum humanitate iustitia. Atqui humanitas non est, quæ iustitia caret. Sed certè & illi, & plerique alii eorum similes, rectius facerent, si ad ueritatem maximè attenderent, eiusq; professores se dici uellent: non autem id solum agerent, auditoresq; suos docerent, quemadmodum ueritati quis contradicere possit: quod uitium maximè aduersus prudentiam est. Cùm legissem apud Vlpianum <sup>c</sup> *ὠλανθεπία*, id est, humanitatem dici etiam pecuniam, quam quis sponte remunerationis cuiusdam causa donat: uisus est non absurdus iocus, si id factum per humanitatem dicamus, quod accepto aliquo donatio factum sit. Quinimo longè remotior est translatio, qua Græci herbarii utuntur, qui Aparinen herbam, ut autor est Plinius, & Dioscorides, *ὠλανθεπία*, dixerunt, quòd uestibus prætereuntium leniter adhæreat, sicut hospitales uiri ex quadam humanitate solent, cùm amicos inuitant, & pallio apprænso comiter retinent, ut secum in prandio sint: id Cicero de oratore lib. III. appellat Lacinia tenere: sicut alibi, Non scindere penulam, ad Attic. lib. XIII. quod contrà est in rubo, atque sentibus: hi enim non adhærent uestibus, sed rapiunt, atque immodestè lacerant: unde & rubus quandoque Græcis *ἀμαθ* dicitur. Plautus ad coquos, ceu fures, transtulit in Casina:

*Vide fur ut sentes sub signum ducas. c. o. qui uerò sentes?*

S E R. *Quia quod tetigere, rapiunt: si eas ereptum, illico scindunt.*

Duci autem sub signo, est res obsignare, ne furtum fiat, quod solebant ueteres. Vnde annulorum usus frequentissimus, ut est apud Plinium, & iocus Neronis in seruum, cui nihil sit domi occlusum, nihil obsignatum.

*De Lamis seu Strigibus scitu non indigna: & declaratum Horatij carmen in arte  
pœtica. Item emendatus Festus Pompeius.*

C A P. XXII.



V' M primum doctoriis insignibus ornatus domum me contuli, prima in qua mihi de iure respondendum fuit, hæc oblata est causa: Venerat quidam hæreticæ prauitatis (ut uocant) inquisitor in subalpinas ualles, ut aduersus hæreticas mulieres, quas ueteres Lamias, nos Striges uocamus, anquireret: Is iam plurimas, & quidem super centum, flammis consumpserat, quotidieq; ceu noua holocausta, alias super alias Vulcano offerebat, è quibus non pauca helleboro potius, quàm igne purgandæ uidebantur: donec rustici arreptis armis uim illam inhiberent, & negotium ad episcopi iudicium deferrent. Is misis ad me actis, petiit uti consilii mei copiam hac in re ei facerem. <sup>a</sup> Non una erat earum species: aliquæ in crucem imminxerant, Christum Deum abnegauerant, præsentibus ipsæ & uigilantes ueneficiis atq; deuotionibus infantes extinxerant. Respondi, in has suo munere fungeretur Quæstor. Aliquæ cùm interdiu matribus minatæ essent, noctu ad earum filios, quamuis obferatis, clausisq; ualuis arreperant, fascinauerantq;, constabatq; eos repentino morbo & medicis non cognito decessisse: & de his respōdi idem dici posse, etenim etiam si demus personaliter eas non accessisse, tamen id Lemuribus suis mandasse uideri possunt: hoc enim casu extra somnia peccatum fuit. Aliquæ nil ultra egisse arguebantur, nisi quòd sub arbore Tellina choreas duxisse, & ad ludum illum accessisse dicebantur, idq; aliquot ex sociis attestabantur, cùm tamen ipsæ hoc negarent. Has dicebat Quæstor esse subiiciendas tormentis, quoniam in fauorem fidei constitutum sit, consciorum consccleratorumq; testimonium admitti. <sup>b</sup> Respondebam id uerum de his, quæ uigilantes uidissent, non quæ dormientes, & in somnis. Cardio igitur dubitationis in eo uertebatur, an ad eum ludum personaliter accederent: an uerò falsa persuasionem, quod in somnis uiderant, pro certo haberent. Et uidentur recentiores Theologi magna asseueratione contendere, personaliter eas illuc accedere, idq; Diaboli opera, qui eas gestat: nam & in Euangelio legitur, intantum eum posse, ut uel Christum ipsum super pinnaculo templi statuerit. Et quamuis aliqui ex maritis magnæ fidei homines asseuerarent, eo potissimum tempore, quo illæ in eo ludo fuisse dicebantur, se exploratum habere, in lecto potius secum fuisse: tamen respondebatur, non illas, sed cacodæmonem potius uxoris forma assumpta marito illusisse. Atqui ego replicabam, Cur non potius cacodæmonem cum suis dæmonibus, illam uerò cum marito fuisse præsumis? cur uerum corpus in ficto lusu, phantasticum

<sup>a</sup> l. ij. C. de eden.

<sup>b</sup> Barb. cōf. 47. in princ. Alex. cōf. 65. j.

<sup>c</sup> l. j. ff. de procon.

<sup>a</sup> Clem. de hæreticis.

<sup>b</sup> cap. in fidei. de hæret. in vj.

<sup>c</sup> Thom. 22. qō. 95. artic. 5. Bonna. 3. sent. dist. 19. qō. 3. Syluc. tract. de strig. Picus dialogo Strix.

in uero lecto comminiferis? quid hic opus est usque adeo augere miracula, & non tam theologū, quā  
*σδραλόγοι* agere, & ueremq; partem in poenis eligere? Cōstabat ex illis actis semel eo in ludicro, per  
 quandam mulierculam nomine Iesu appellato, omnem illum apparatus, omnes saltatrices, cum ama-  
 fuis suis repente euanuisse: Quj fieri id potuit, si uera fuissent corpora & non phantasmata, & Tantalii  
 horti? quod apud Philostratum lib. IIII. etiam Apollonius Tyanæus censuit, & apud Plutarchum  
 in Bruti uita C. Calsius: nam & Medici maximos effectus corruptæ menti, imaginariæq; ludificatio-  
 ni tribuunt: unde Ephialtici, Afflati, Superstitiosi, Incubitati, Amore furentes, Imaginosi, Lycaones,  
 Cynanthropi, qui tamen medicamentis curantur: uidenturq; hæc esse, quæ Plinius & alii ueteres Fau-  
 norum ludibria appellant, Pæoniaq; herba emendari censuerunt, ut etiam harum pleraq; curari posse  
 fit uerisimile: nisi quod pauperes, & foemellæ omnes sunt, quibus talis facultas non suppetit. Ego certè  
 magis iuri Pontificio communiq; nostratum Doctorū interpretationi hac in quæstione, quā Theolo-  
 gis istis tribuerim, maximè in re à synodo decisa in concilio Anquirensi, <sup>d</sup> cap. primo, ubi talia phan-  
 tasmata mentibus à maligno spiritu irrogari ait: & rursus, Infidelis, inquit, non animo, sed in corpore  
 euenire opinatur: quis enim in somniis, & nocturnis imaginibus non extra seipsum deducitur? quæ  
 etiam fuisse uidetur Augustini lib. de ciuitate Dei x VIII. cap. x VIII. sententia: ubi Verum, inquit,  
 corpus nulla arte dæmonum conuerti potest, sed phantasticum: quod etiam cogitando, siue somnian-  
 do per rerum innumerabilium genera uariatur: & cum corpus non sit, corporum tamen formam ca-  
 pit, sopitis aut oppressis corporeis sensibus, ita ut uera corpora alibi iaceant, sensibus obseratis. Nec re-  
 fert, quod ibi Herodiadi aut Dianæ honor exhibetur, hæc uerò ipsi dæmoni se addicunt, idem enim est  
 spectrum. Et Diana dicitur ex Virgil. carmine,

*Exercet Diana choros, &c.*

uel Herodias, quia Matthæi x IIII. scriptum est, Saltabat filia Herodiadis, &c. Conantur tamen ali-  
 qui recentiores textui illi respondere: sed ita, ut nec cœlum, nec terram attingant. Nec me mouet  
 Euangelii locus: quia sponte, & quidem spiritu sancto ducente, super pinnaculum ascendisse Christū,  
 ueteres tradiderunt, ut periculum sui aduersus tentatorem faceret: non autem à diabolo latum: id  
 enim incredibile est, inquit Origenes homilia x x I. in Lucam, quem & sanctus Hieronymus sequi-  
 tur IIII. Matth. Cur autem dicantur Lamie indicat Duris Libycorum libro II. mulierem pul-  
 chram fuisse Lamiam Beli & Libyes filiam, quam Iupiter adamarit, ex eaq; filiu suscepit: at Iuno-  
 nem zelotypia infensam, eum infantem perdidisse, ipsamq; in feram mutasse, quæ nunc sui desiderio  
 alienos filios rapiat, perdatq;: unde Horat.

*Nec pransæ Lamie uinum puerum extrahat aluo.*

De quo plura apud interpretem Aristophanis. Striges uerò dictæ sunt mulieres maleficæ, & uolaticæ,  
 ut inquit Festus Pomp. ab aue huius nominis inauspicata, quæ similis est buboni, & infantium corpo-  
 ra noctu inuadit, exugitq; sanguinem, & suffocat: unde à stringendo nomē habet. Sed Ouid. lib. v I. Fa-  
 storum, à stridendo dici mauult, & tamen corripit primam,

*Est illis strigibus nomen.*

Plautus uerò in Pseud. producit hoc senario,

*Non condimentis condium sed strigibus.*

Addit idem Festus Græco carmine auerti eas solere,

*Συρμία πομπύει νυκτινομα σρίγγαδ' ἄλαδον  
 ὄρηψ ἀνάουμου ἀκνύρορ τε πνύκα.*

*Noctinagas laruas diram & traducere strigem*

*Infamem uolucrem faucipremamq; uelim.*

Dicitur autem Græcè *συρμίον ὑποουσιπκῶς*, quia *συρμός* gestamen, quod in tragœdiis personati tra-  
 hebant, significat: tamen si hac in dictione corrupta sit apud Festum lectio uulgaris.

*Qui sint Exorcistæ, quid ὄρησ, quid Ventriloqui, seu ἐγγαστριμοῖ, quid Energumini,  
 Decretorum loca explicata, etiam aduersus recentiorum interpretationem.*

C A P.

XXIII.

a l. j. §. medicos.  
 ff. de uar. & ex-  
 traord. cogn.



I quis, inquit Vlpia. <sup>a</sup> incantauit, uel si imprecatus est, uel ( ut uulgari uerbo in posterum  
 utar) si exorcizauit, non sunt ista medicinæ genera, tamen si sint qui hos sibi profuisse cum  
 prædicatione affirmant. Opinor scripsisse Vlpianum, Vulgari uerbo imposturum utar.  
 Existimauit enim uir gentilis, exorcismum quandam imposturam esse: nam etiamnum  
 sunt, qui hoc nomine confictis terroribus multos decipiant. Verum arbitror Iustiniani consiliarios Di-  
 ctionem illam mutasse, & in posterum, scripsisse: apud ueteres enim Christianos ea ars adeo appro-  
 bata fuit, ut in sacris muneribus constitueretur, qui Exorcistes dicitur: id est, adiurator: de quo in con-  
 cilio Carthaginensi IIII. scriptum est, Exorcista cum ordinatur, <sup>b</sup> accipiat de manu episcopi libellum,  
 in quo scripti sint exorcismi, dicente episcopo, Accipe, & commenda memoriz, & habeto potestatem  
 imponendi manus super energuminum &c. <sup>c</sup> & rursus: Omni die exorcistæ energuminis manus im-  
 ponunt. *ὄρησ* enim est iuramentum: unde Iustin. Siue iuramentum interposuerit, <sup>d</sup> cum & hoc no-  
 bis aud

b 23. dist. c. exor-  
 cista cap. vij.  
 c de cōsc. dist. v.  
 c. omni die.  
 d l. ij. C. commu.  
 de leg.